

unumquemque Christi fidelem, ad sui libitum eligendo, lucri faciendam, omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessisse, & elargitum fuisse. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Ex quibus verbis indefinite in ipsomet Brevi expressis, nec hæcenus ab ullo alio Pontifice ad ullum determinatum tempus, quoad modum recitationis, restrictis, inferes hujusmodi recitationem flexis genibus faciendam esse pro lucro Indulgentiæ.

CAS. III. Debebat Petronius Vitali Scuta Romana quadraginta duo, circa quæ requisitus à Creditore, promisit quamprimum solutionem; & de facto domum reversus tradidit famulo 20. Zechinos Venetos, ut eos Vitali consignaret. Ast famulus sciens, Mercatorem quemdam pro quolibet ex his Zechinis solvere julios viginti unum cum dimidio, ad hunc eos detulit, sibi que retento hoc medio julii pro unoquoque, residuum pecuniæ conficiens scuta Rom. 42. nomine sui Domini, Vitali numeravit. Q. An famulus id licite fecerit.

Resp. cum dist. Vel Petronius tradens famulo hujusmodi Zechinos, tali traditione præcise intendit extinguere suum debitum, non curando de specie monetarum; & in hoc casu dico, famulum, qui id à Domino perceperat, licite id fecisse; quia tunc illud plus, quod à Mercatore accepit per cambium, est fructus suæ industriæ: quemadmodum qui à Domino accepit aliquam pecuniam expendendam tali valore corrente, potest, tamquam fructum suæ industriæ, sibi retinere illud plus, quo ex industria illam cambit. Vel Petronius tradens famulo hujusmodi Zechinos, non solum intendit sic extinguere suum debitum, verum etiam rem gratam facere Mercatori traditione hujusmodi monetarum, præbendo nimirum ei occasionem lucri per transmissionem speciei hujusmodi monetæ; & tunc certo famulus id illicite fecit; non enim poterat acceptam pecuniam mutuare, cum sic egerit contra intentionem Domini, & contra jus, quod hoc in casu ipse Vitalis habebat ad talem qualitatem pecuniæ. Hinc si Vitalis ob id passus, aut passurus est aliquod damnum, tenetur famulus illud resarcire, & compensare: vel saltem lucrum ex cambio perceptum ei restituere. Viva, & alii.

## ANNO MDCCLVIII.

### MENSE JANUARI.

CAS. I. Vocatur Parochus ad excipiendam Confessionem vulnerati in via, cui hostes adhuc insistent, & cavent, ne quis ad eum accedat. Q. an teneatur currere cum probabili periculo suæ occisionis, vel saltem gravis vulnerationis.

Resp. cum dist. Vel intervenit prudens, ac probabilis spes, quod ipse non sit omnino impediendus, quominus ad vulneratum accedat, & quod opportune ad hunc sit perventurus pro ope spirituali, ac Sacramentali Absolu-

lutione, vel non. Si non; dico, Parochum non teneri currere cum præfato periculo. Ratio est, quia obligatio currendi inest Parocho, quando accursus potest esse vulnerato proficius; non vero quando frustra fieret, ac esset supervacaneus; tunc enim potius esset accursus imprudens, cum Parochus se gravi periculo exponeret, sine spe præstandi ullum vel minimum auxilium vulnerato. Si postea intervenit prudens, ac probabilis spes &c. tunc dico, Parochum teneri currere, etiam cum præfato periculo. Ratio est, quia ita exigit officium Pastoris; ut notant D. Joannes Chrysostomus homil. 59. in Joan. D. Augustinus pluribus in locis, D. Gregorius Magnus, ac D. Thomas: *Debemus namque pro fratibus animas ponere*, ut inquit D. Joan. Epist. 1. cap. 3. & S. August. lib. de Mend. cap. 6. *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*: quæ obligatio, si in casu necessitatis cuilibet Christiano pro modulo suo inest, eo quod vita spiritualis proximi etiam vitæ propriæ corporali est anteferenda, utpote bonum majus ac altioris ordinis (sicuti notavimus anno 1748. ad II. Octobris) à fortiori inest Parocho quoad ea ministranda, quæ sunt de necessitate salutis, prout est lapsis post Baptismum Sacramentum Pœnitentiæ; ad quod propterea vulnerato ministrandum, stante dicta spe, tenetur currere, etiam cum periculo gravis sui vulnerationis, vel etiam occisionis. Neque dicas, per actum Contritionis posse vulneratum salvari; ideoque Parochum non teneri præfato periculo exponere propriam vitam, in casu, accurrendo. Contra enim: non inficior, absolute loquendo, posse vulneratum salvari per actum veræ Contritionis. Ast hoc opus, hic labor est; quod hic vere eliciatur à vulnerato in eo concursu invasionis hostium, fervescentiæ passionis, diminutionis spirituum ob recepta vulnera, turbationis mentis, &c. Hujusmodi actus profecto, in hisce circumstantiis, non est adeo facilis, nec certo adfuturus; proindeque si ipse Parochus non accurrat ad ministrandum vulnerato Pœnitentiæ Sacramentum, eique spiritualem ferendam opem, ipsum relinquit in periculo æternæ damnationis; quod plane est contra officium Pastoris. Hinc sicuti quamvis tempore pestis Parochus incurrat periculum mortis, infectis ministrando Baptismi, aut Pœnitentiæ Sacramenta, tamen, si alius non adsit, qui ea ministrat, ipse tenetur ea *in re* infectis ministrare, quamvis adultus, nondum regeneratus per Baptismum præmisso actu doloris, possit salvari cum Baptismo in voto; & lapsus post Baptismum pariter possit salvari per actum contritionis; ita in casu, non obstante dicto periculo, tenetur Parochus currere ad opem ferendam vulnerato, eique ministrandum Pœnitentiæ Sacramentum, quamvis absolute loquendo hic possit salvari per actum contritionis; cum iste in casu æque jus habeat, & indigentiam, ut ipsi impendatur officium Pastoris; ac habeant infecti tempore pestis, quibus, non obstante periculo vitæ, tenetur Parochus, vel per se, vel per alium, tale officium impendere; ut declaravit Gregorius XIII. die 10. Septembris 1576. confirmando quoad hoc Sacræ Congregationis Decretum, relatum ab æterna memoria digno Benedicto Papa XIV. de Syn. Diœc. lib. 13. cap. 19. n. 6.

CAS. II. Pœnitens bona fide confessus est penes Confessarium complicem, qui inadvertenter illam absolvit. Q. an valida sit absolutio, & quid in praxi servandum.

LII

Resp.

Resp. quantum spectat ad valorem absolutionis, saltem directæ, hanc esse invalidam, supposito quod agatur de gravi peccato turpi, & inhonesto contra 6. Præc. Decal. alteri nondum confesso. Ratio est, quia laudatus Pontifex Benedictus XIV. in Constitutione *Sacramentum Pœnitentiæ*, sustulit ipso jure cuilibet Sacerdoti, extra casum necessitatis, quamcumque auctoritatem, & jurisdictionem ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam; irritamque declaravit, ac omnino nullam absolutionem ab eodem Confessario complice impertitam. Ergo sicuti absolutio ab aliquo casu reservato, inadvertenter data à simplici Confessario Pœnitenti, bona fide confesso penes ipsum, indirecta valida non est quoad hujusmodi casum, eo quia Confessarius quoad hunc non habebat jurisdictionem; ita nec in casu nostro directe valida est absolutio à Confessario complice inadvertenter data Pœnitenti quoad tale peccatum, eo quia quoad hoc facultatem non habebat, nec jurisdictionem. Neque dicas, laudatum Pontificem absolvendi facultate privasse Confessarios complices, absolventes scienter, & advertenter, cum dicat: *Interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, Confessionem Sacramentalem personæ complices in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere audeat; ubi ly audeat scientiam connotat, & præsumptionem, non vero ignorantiam, & inadvertentiam, ut in casu; in quo proinde absolutio valida dici debet, maxime ob interventum erroris communis cum titulo colorato: Ne dicas, inquam; nam quamvis Pontifex revera in Constitutione apponat ly audeat, ausum tamen non requirit, ut Confessarius complex sit incapax valide absolvendi; etenim Pontifex protestatur, se ab illo auferre potestatem, eademque illum private ipso jure per ipsammet Constitutionem; ait enim, *quam ei per præsentis hæc nostras adimere intendimus; sed requirit ausum, ut ab ipso incurratur pœna excommunicationis Summo Pontifici reservatæ; prout clarius colligitur ex verbis immediate subsequentibus, quæ sunt hæc: Et nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit* (hoc est absolvere) *majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.* Propterea licet Confessarius, de quo est sermo, inadvertenter absolverit Pœnitentem, hoc non obstante, absolutio ab eo impertita directe nulla est in ordine ad turpe peccatum, cujus ipse Confessarius erat complex, & inadvertentia in hoc absolvendo eum tantum excusat ab incursu in excommunicationem, cum pro hac incurrenda revera requiratur ausus. Ad id postea, quod subditur, circa errorem communem, & titulum coloratum, dico, neutrum in casu intervenisse. Non titulum, quia cum Confessarius, saltem post prædictam Constitutionem, numquam fuerit approbatus, nec habuerit jurisdictionem pro absolvenda complice, seu socia criminis, nullum titulum coloratum allegare potest, vi cujus &c. immo si erat complex in copula, etiam ante præfatam Constitutionem non poterat valide eam absolvere; nam ultima Bononiensis Diœcesana Synodus lib. 2. c. 5. §. *Lethali*, sic jamdiu statuerat: *Lethalis criminis socias in opere carnali infra explicando, seu in facto participes cum ipso Confessario, innovato Decreto Prædecessorum nostrorum, & insistendo septimo Concilio Provinciali Mediolanensi, ab eodem Socio, seu**

*participes criminis, absolvi prohibemus; adeo ut sit omnis penitus ablata facultas, & approbatio ab eodem Sacerdote complice, aut socio, pro criminibus in opere carnali, in quibus fuit socius, aut particeps.* Neque intervenit error communis; cum enim post promulgationem Bullæ sit communiter notum, esse universaliter prohibitum, quod Confessarius socium criminis absolvat, hinc eruitur præsumptio, quod in casu intervenit error particularis Pœnitentis, non vero error communis. Ergo neque ex hoc capite directe valida in casu dici potest absolutio pœnitentis. Denique, ut Sacerdos (stante etiam errore communi cum titulo colorato) Pœnitentem valide absolvat, requiritur quod Ecclesia in tali casu vel det, vel suppleat jurisdictionem ob bonum commune. Atqui semel ac ipsemet Romanus Pontifex adeo clare, ac generaliter ademittit Confessario potestatem absolvendi complicem in peccato turpi, ejusdemque Constitutio fuit ad omnes Christiani orbis Ecclesias transmissa, ut observetur, præsumi nequit rationabiliter, quod Ecclesia det, aut suppleat jurisdictionem in Confessario, complicem absolvente à tali peccato; sic enim, quod Pontifex ædificat, Ecclesia destrueret. Ergo dicendum est, potius in casu Ecclesiam neque dare, neque supplere jurisdictionem; ideoque dictam absolutionem à peccato turpi, & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, datam Pœnitenti à Confessario complice, directe esse invalidam. Ex his facile colligitur, quid servandum in praxi, nempe, Confessarium in casu (si ipse ad errorem animadvertit, ac, secluso periculo ab utroque, id facere possit) petere debere licentiam à Pœnitente loquendi de auditis in facta Confessione; eaque obtenta, ipsi suadere, ut renovet illam Confessionem penes alium Confessarium non complicem; vel (si directe ab aliis peccatis rite fuit absoluta, & indirecte ab illo) ut hujus denuo confiteatur penes alium, ad hoc, ut sic etiam ab illo directe absolvarur; prout fieri solet cum Confessarius simplex inadvertenter absolvit aliquem ab aliquo reservato. Quod pariter suadebit alter Confessarius ipsimet Pœnitenti, casu quo ipsa eidem factum degerat.

CAS. III. Q. secundo, an nomine peccati turpis, ac inhonesti, à quo Complex nequit absolvi, veniat etiam turpiloquium.

Resp. affirmare, tamquam certum, P. Alphonsum de Ligorio lib. 6. tr. 4. cap. 2. dub. 2. num. 554. si agatur de turpiloquio gravi, & mortaliter peccaminoso: quod ait etiam sentire plures viros doctos, super hoc ab eo consultos. Et quamvis pro sua assertione nullam ibi auctoritatem, vel rationem afferat, ipsi nihilominus favere videtur auctoritas Glossæ in l. *Quod ait lex v. in ipsis rebus, ff. ad leg. Jul. de adult. &c.* ubi hæc habet: *Sunt enim res veneris (ideoque turpes) antecedentia ipsum scelus colloquia, basia, tactus; nam ab ipsis argumentum sceleris inducitur, ut in Topicis Marci Tullii. Unde versus: Visus, & alloquium, tactus, post oscula, factum.* Idque præsertim ipsummet nomen turpiloquii, cum hoc solum discrimine, quod turpiloquium est quid turpe, ac inhonestum in locutione; cæteri vero actus externi, peccaminosi contra sextum, sunt quid tale in facto. Hinc, cum laudatus Pontifex, adimens Confessario complici facultatem absolvendi socium à peccato turpi, & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, loquatur indefinite, ac generaliter, quantum ad hujusmodi peccatum; in-

definite, ac generaliter intelligendus est, de quocumque gravi peccato turpi, ac inhonesto contra tale præceptum; & sic etiam de turpiloquio mortaliter peccaminoso; alias aperietur via interpretationi Bullæ quoad mera peccata turpiora, & graviora: quod contrariatur fini, menti, ac verbis Legislatoris, adimentis Confessario complici facultatem absolventi socium, vel sociam, absolute ac simpliciter à peccato turpi, & inhonesto contra sextum. His tamen non obstantibus, nomine peccati turpis, ac inhonesti, à quo complex nequit absolvi, non venire simplex turpiloquium, quantumvis grave, probabilius censeo cum P. Eusebio Amort, aliisque. Ratio est, quia verba legis, quando de mente, ac intentione Legislatoris aliter non constat, accipi, & intelligi debent juxta communem sensum, ac intelligentiam; nam secus in humano commercio nimia, & continua esset confusio, qua re fere nihil absurdius. Jam vero neque ex Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, neque ex ejus Declaratoria *Apostolici muneris*, neque alibi constat, Benedictum XIV. per peccatum turpe, ac inhonestum intendisse, & intellexisse etiam turpiloquium, cum de hoc ne verbum quidem alicubi fecerit. Ex alia parte per peccatum turpe, ac inhonestum, juxta communem sensum, & intelligentiam, quid plus intelligitur, quam turpiloquium; si enim quis referat, Franciscum ex. cau. accusatum fuisse peccati turpis, ac inhonesti, seu turpe, ac inhonestum peccatum perpetrasse, statim certe quid plus audientium menti occurrit fuisse ab eo factum, quam obscenum colloquium. Ergo hoc proprie non est peccatum turpe, ac inhonestum, de quo in Bulla; sed est quid diversum, prout de facto ipsum diversificant D. Thomas, D. Antoninus, immo & Apostolus ad Ephes. 5. dicens: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, aut turpitude, aut stultiloquium, aut scurrilitas*: super quæ verba, hæc scribit S. Thomas in cap. 5. ejusdem epistolæ: *Omnis immunditia, id est pollutio, aut turpitude (nota bene) quæ est in tactibus turpibus, & amplexibus, & osculis libidinosi. Idem stultiloquium, id est verba provocantia ad malum, & scurrilitatem, id est, verbum jocularium, puta cum oblectatione, vel provocans ad delectationem morosam circa libidinosam; & hæc omnia sunt mortalia, in quantum ordinantur ex sua natura, vel ex circumstantia, ad mortalia peccata.* Et D. Antoninus part. 2. tit. 5. cap. 1. §. 9. inquit: *Sextus gradus luxuriæ est libidinosæ contrectatio, quæ scilicet fit per oscula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis. Hanc Apostolus nominat turpitudinem, cum ait: Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitude non nominetur in vobis. Ubi Glossa: Turpitude, ut in osculis, amplexibus, & hujusmodi: omnia talia sunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra Matrimonium. Unde Apostolus subdit: Omnis fornicator, aut immundus non habet hereditatem in Regno Christi, & Dei. Non autem resumit de turpitudine, stultiloquio, scurrilitate, quia sub illis, scilicet, fornicatione, & immunditia includuntur; intantum enim sunt peccata amplexus, oscula, tactus, & stultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria, quæ in fornicatione, & immunditia notantur secundum S. Thomam. Accedit, quod ubi Pontifices voluerunt includere turpiloquium, de illo expressam mentionem fecerunt, ut patet ex statutis contra Confessarios sollicitantes, si hi cum pœnitentibus etiam*

præcise illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Ergo à contrario; cum ubi egerunt de Confessario complice quoad absolutionem socii, vel sociæ in peccato turpi, & inhonesto contra sextum Decalogi præceptum, quoad turpiloquium nihil expresserint, hinc conjicere fas est, hoc non intendisse comprehendere sub hujusmodi peccato turpi, ac inhonesto; & sic nomine istius non venire turpiloquium. Nec oppositum evincunt allata in favorem opinionis contrariæ; quod enim attinet ad Glossam, ejusdem præfata expositio solummodo exprimit turpiloquium esse dispositionem ad carnale commercium, sicque esse rem veneris, quatenus tali commercio, aut immunditiæ subordinatur. At inde non colligitur, ipsum, in se consideratum præcise ab omni alio actu externo peccaminoso, venire nomine peccati turpis ac inhonesti, de quo est sermo. Idem dico quantumvis sit quid turpe ac inhonestum in locutione; nam ex quo in se simpliciter consideratum, sit quid mere turpe ac inhonestum in locutione tantum, potius infero, non esse peccatum actus turpis externi, cujus grandior idea in communi sensu, & intelligentia excitatur ad nominationem peccati turpis & inhonesti; proindeque non comprehenditur in præfatis Constitutionibus. Neque per hoc aperitur via huic interpretationi quoad peccata mere turpiora, & graviora; cum enim ultra hæc dentur alii actus externi præseferentes non modicam turpitudinem practicam, ac inhonestatem exercitam, de his quoque accipiendo, ac intelligendo *ly peccatum turpe, ac inhonestum contra sextum*, tum mens Pontificis, cum finis Constitutionum ejusdem, satis attingi videtur, etiamsi non includatur turpiloquium.

#### MENSE FEBRUARII.

**CAS. I.** Titius creditor cujusdam Sacerdotis, ipsi injungit, ut tot Missas pro se celebret. Moritur titius antequam Missæ celebrentur, & invenitur, ipsum multo ære alieno esse gravatum; quod totum dissolvere ejus hæredes non possunt. Q. an Sacerdos possit adhuc Missas celebrare; an vero teneatur debitum suum hæredibus solvere.

Resp. cum distinctione. Vel quando Titius eidem injunxit celebrationem Missarum hoc non obstante, adhuc poterat adæquate satisfacere omnibus suis creditoribus: vel jam erat impotens, seu impotens evadebat ob talem injunctionem. Si primum; dico, Sacerdotem adhuc posse Missas celebrare; eo quia, cum supponatur, quod creditum Titii cum Sacerdote alteri non esset specialiter obligatum, poterat Titius de eo pro libito disponere, absque læsione jurium creditorum: potentia namque his aliunde satisfaciendi adæquate, in ipsum refundebat libertatem disponendi de tali credito, prout ipsi libebat. Hinc sicuti si Titius tunc Sacerdoti liberaliter condonasset, absque ullo onere, totum, quod ipsi debebat, non teneretur Sacerdos, in casu, quidquam ejus hæredibus solvere, eo quia id, quod Titio debebat, opportune à domino ipsi fuisset absolute condonatum; ita nec aliquid tenetur in casu solvere Titii hæredibus, quia per junctionem tot Missarum, obligatio solvendi pecuniam debitam opportune con-

versa fuit in obligationem celebrandi pro Titio tot Missas, quæ proinde sola Sacerdoti remansit: qui propterea nihil debet hæredibus Titii. Si secundum, subdistinguo: Vel Sacerdos erat conscius hujusce impotentia Titii: vel non. Si erat conscius; dico, ipsum teneri debitum suum, hoc est, à se prius contractum, hæredibus solvere. Ratio est, quia, stante in ipso hujusmodi scientia, in utroque foro evincitur, ipsum influxisse, & cooperatum fuisse alienationi talis crediti, in fraudem creditorum: toties namque quis dicitur cooperari alienationi rei in fraudem creditorum, quoties ex ejus alienatione cognoscitur, vel etiam deberet cognosci, ipsum alienantem reddi impotentem ad creditoribus satisfaciendum, & hoc non obstante, in id præstatur consensus, & opera. Instit. quibus manumitt. non licet §. in fraudem; l. 1. & sequent. per tot. tit. Cod. & ff. quæ in fraud. Creditor. Heislinger de Contr. part. 2. cas. 3. §. 2. num. 7. de Ligorio lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 2. num. 722. Atqui hoc totum verificatur de Sacerdote, semel ac erat conscius &c. & consensit in illam conversionem debiti: siquidem suo consensu in illam, suaque acceptatione ejusdem, illam complevit. Ergo in hoc casu Sacerdos tenetur debitum solvere hæredibus Titii juxta illud Gregorii IX. cap. fin. de Injur. in gener. *Si culpa tua damnum est datum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem ferre tulisti; jure super his satisfacere te oportet.* Si postea Sacerdos non erat conscius dictæ impotentia; tunc dico, attento jure positivo, ipsum adhuc posse Missas celebrare; tum quia in l. quod autem, ff. quæ in fraud. Credit. habetur: *Si quid in fraudem Creditorum factum sit, si tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba Edicti;* tunc etiam quia Titius eo tunc erat Dominus illius crediti, cum non subesset speciali hypothecæ, &c. sicque valide poterat illud convertere in onus Missarum. Molina, Lessius, aliique satis commun. propterea dicentes, Sacerdotem, qui in casu adhuc velit Missas celebrare; neque peccare contra charitatem, eo quod Sacerdos in hoc casu non fuit in culpa; & charitas non obligat repudiare proprium commodum ad servandos creditores indemnes. Censeo nihilominus, quod si Sacerdos non patiatur in casu positivum incommodum in solvendo debito hæredibus Titii, nec ei difficile sit invenire eleemosynas Missarum consimiles, ad id teneatur ex quodam naturali jure juxta illam regulam: Quod tibi non nocet, ac alteri prodest, faciendum est. Præcipue cum pie ac prudenter præsumi possit, ideo onus pecuniarum in illud Missarum à Titio fuisse conversum, quia putabat, hæreditatem solvendo satis futuram; & quod si oppositum scivisset, in hujusmodi conversionem non consensisset: quam ob rem cessat Legatum etiam pium de re aliena, quam Testator putabat esse suam; ut recte tradit Girib. de Cont. cap. 15. dub. 13. num. 153.

CAS. II. Audit Capellanus confessionem infirmi, & illum invenit indispositum ad absolutionem, sacramque communionem recipiendam: interrogatur deinde à Parocho, an possit infirmum communicare. Q. quid respondere debeat.

Resp. Si Capellano, in casu, suppetit aliquod subterfugium, cæteroquin verum, ac sufficiens ad differendam delationem Eucharistiæ, puta, si mor-

bus talis non sit, ut urgeat præceptum sumendi tale Sacramentum, aut si infirmus pariatum revolutionem stomachi, facile rejicientis cibum, quem sumit, vel &c. debet huic subterfugio se attinere in danda Parocho responsione, ut sic differat communionem; hoc enim modo tum directe, cum indirecte Sacramentale sigillum servatur illæsum, & sacrilegæ obviatur Eucharistiæ sumptioni. Si vero nullum ei suppetat subterfugium, ac infirmi morbus semper magis ingravescat, cum periculo, quod is absque Sacramentis decedat, si ea die hæc ipsi non ministrentur; tunc dico, Capellanum debere Parocho respondere, ipsum utique posse infirmum communicare, si idem infirmus velit; hunc tamen ipsi non dixisse, quod velit. Verissimum enim est, quod si infirmus vult sic communicari, ideoque communionem publice petat, jus habet, ut ei publice ministretur, cum sit peccator mere occultus, uti supponitur: & superaddendo, infirmum ipsi non dixisse, quod velit communicari, relinquit rem in suspenso, adeo ut nullo modo cooperetur communioni sacrilegæ. Quod si Parochus Capellano reponat, ut denuo se conferat ad infirmum, & ipsum interroget an velit communicari; tunc Capellanus infirmum denuo conveniat, & cum omni lenitate, & affabilitate illi exponat petitionem Parochi, eidem charitative simul manifestando periculum mortis, cui subest; urgentiam implorandi divinam opem, ac misericordiam; ac providendi animæ suæ omni meliori modo, quo potest. Et si infirmus à semetipso introducat sermonem de confessione, in qua Capellanus ipsum dimisit inabsolutum; tunc, quia id æquivaleret expressæ licentiæ loquendi de iis, quæ Capellanus in ea audivit, potest idem Capellanus libere ipsi exponere causam, nempe indispositionem ipsius; subdendo, quod si ipse promptus est ad removendum hunc obicem ex conscientia bona, & animo volenti, etiam ipse promptus est ad eum tunc Deo reconciliandum per absolutionem, dummodo ex vero corde doleat de commissis, cum proposito non peccandi de cætero, ac satisfaciendi ut poterit. Et si poenitens hisce convictus ad hæc omnia se promptum exhibeat, ipsum adjuvet, quantum potest, tum in peccatorum confessione, cum in excitando vero dolore, ac proposito; & postea eum absolvat: datisque ei monitis, quibus pie ac religiose se ad communionem disponat, redeat ad Parochum, ut hic ipsum sacro Viatico muniat. Quod si contumax, ac induratus persistat, proximum, ac tremendum Dei judicium, cum æternis inferni poenis, ejus considerationi objiciat; & si hoc nihil prosit, subdat, quam responsionem Parocho ipse referre debeat; & prout responderit, referat, ac fiat, Deo interim illum commendando, ut qui novit de lapidibus suscitare filios Abrahæ, ipsum illuminet, ac convertat.

CAS. III. Cajus, ut se à calumnia liberet, occultum calumniatoris crimen manifestat. Q. an licite.

Resp. affirmative, dummodo id sit medium efficax, vel saltem utile ad intentum, absolute necessarium, adeoque non suppetat alia via evadendi calumniam; idque fiat cum moderatione, hoc est; quantum sufficit ad calumniam evadendam, & cum minori proximi damno quantum fieri potest; ac denique id non fiat ex vindicta, odio, vel alio pravo animo, sed unice ad se liberandum à calumnia. Ratio est, quia non omnis ma-

manifestatio occulti criminis proximi est læsiva iustitiæ, aut charitatis, adeoque illicita; sed ea tantum, quæ vel fit sine iuxta causa, vel ad finem infamandi proximum, vel cum defectu alicujus ex aliis conditionibus, quas in responsione exposuimus; ut est communis sensus Doctorum. Ergo Cajus occultum calumnatoris crimen sic manifestans, licite illud manifestat. Hinc D. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 2. in C. inquit: *Si verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.* Nec valet paritas desumpta ex damnatione facta ab Innocentio XI. illius propositionis 44. *Probabile est, non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Disparitas enim ex eo elucet, quod alteri imponere falsum crimen, uti supponitur, grave, est mentiri, ac falsum dicere in materia gravi; quod, ut patet, mortale est, cumque sit malum ab intrinseco, in nulla circumstantia potest esse licitum. E contra dum Cajus in nostro casu manifestat occultum calumniatoris crimen, supponitur manifestare crimen verum; quæ manifestatio, si fiat cum prænaratis conditionibus tantum abest, quod sit illicita, ut possit evenire casus, in quo fieri debeat, puta si necessaria sit ad se liberandum à calumnia, quæ etiam vergit in damnum alterius, in scandalum &c. circa quod vide Giribaldum de Just. & jur. cap. 3. dub. 6. num. 100.

### MENSE MARTII.

**CAS. I.** **P**œnitens, solita frequenter accedere ad Sacramenta, exponit Confessario peccatum tres annos ante commissum numquam tamen præ rubore confessum. Q. quomodo Confessarius procedere debeat cum hac pœnitente, ut rite confiteatur.

Resp. cum distinctione. Vel Confessarius, cui pœnitens confitetur, est ille idem, cui factæ sunt dictæ confessiones nullæ, ac adhuc recordatur saltem in confuso eorum, quæ pœnitens in his exposuit: Vel est alius, aut si idem est, neque in confuso amplius recordatur, &c. Si primum; debet Confessarius illico curare, ut pœnitens exponat peccatum reticentem, ne dæmonis tentatione delusa, aut erubescencia iterum victa, sumat aliquod subterfugium, ac denuo peccatum reticeat, vel integre non manifestet. Deinde debet ipsam interrogare, an quoties confessus est, semper adverterit se male confiteri; & cum eadem mala fide semper accesserit ad Eucharistiam; fieri enim potest quandoque quod mala fides in ipsa cessaverit, sive in confitendo, sive in communicando; vel saltem quod aliquando non sumpsit Eucharistiam, quantumvis confessus; & sic quod minora sacrilegia intervenerint, & etiam, quod aliqua confessio, & communio non fuerit sacrilega, sed valida; atque ideo, si non præcepto communionis Paschalis, saltem præcepto annuæ confessionis satisfecerit. Habita responsione quoad hæc omnia, colligat Confessarius circum circa quot fuerint sacrilegia, ac transgressiones dictorum præceptorum Ecclesiæ, eaque omnia pœnitenti manifestet, ut de iis se accuset, necnon de commissis ultima confessione, ac simul in gene-

rali de quibuscumque peccatis toto illo tempore ab eadem pœnitente ipsi invalide confessis; curetque, ut eliciat verum, supernaturalem, ac universalem dolorem de tot iniquitatibus à se commissis, cum proposito non peccandi de cætero: & si nihil obstat, imposita ei congrua pœnitentia, ipsam absolvat. Si secundum, opus est ulterius ipsam interrogare, quoties circum circa ipsa solita fuerit confiteri, ac communicare intra annum, aut mensem; insuper ipsam monere de necessitate repetendi singula mortalia toto illo tempore male confessus, quoad speciem, ac debitas circumstantias: ad quæ omnia, si illam paratam non invenit, satius erit illi assignare tempus congruum pro examine: ni forte melius judicet Confessarius, diligens à semetipso illi examen facere, ob ruditatem personæ. Si vero ad hoc pœnitens jam parata sit, atque disposita, renovationem confessionum patienter excipiat, supplendo, ubi opus sit, necessariis interrogationibus; collectoque ex responsionibus ad supra indicatas interrogationes numero sacrilegiorum, &c. de quibus ipsa pariter se accusare debet, non minus ac de peccato reticito, si nihil obstat, quominus eam absolvat, excitato in ea vero actu doloris cum proposito &c. imponat illi pœnitentiam, & ipsam absolvat. Vide Suarez de Pœnit. disp. 22. sect. 6. & Bonacinam de Sacram. quæst. 5. sect. 2. punct. 3. num. 16.

**CAS. II.** Certo constat Pœnitenti, Confessarium, ex falsa apprehensione, fundata in natura scrupulosa ejusdem Pœnitentis, veniale putasse in antea facta Confessione quoddam vere mortale. Q. an teneatur de illo iterum confiteri, etiamsi prima vice illud exposuerit cum omnibus necessariis circumstantiis.

Respondeo negative. Ratio est, quia ut recte tradit Giribaldus cum aliis communiter ad valorem Confessionis non est necesse, quod Confessarius, aut pœnitens determinate sciat, peccatum confessum esse mortale (si quidem in omnibus id scire est impossibile), sed requiritur, ac sufficit, quod materia exposita sit revera peccatum, & quod hoc sit expositum, ac notificatum Sacerdoti, prout factum est, atque adeo secundum suum esse, ac debitas circumstantias. Atqui hoc totum verificatur in casu, quantumvis Confessarius ex dicta falsa apprehensione illud in Confessione veniale putaverit, quando erat vere mortale; nam semper verificatur, quod sic expositum fuerit peccatum, & quod hoc fuerit expositum secundum suum esse, ac necessarias, seu debitas circumstantias: ergo non tenetur pœnitens de illo iterum confiteri, cum in Confessione facta jam plene fuerit detectum, nec occurrat nova circumstantia explicanda. Sanchez lib. 1. mor. cap. 10. num. 69.

**CAS. III.** Concionator ruralis docens, quod pœnitentes sæpius deficiunt in examine, omnes ad se accedentes indiscriminatim interrogat signanter circa Decalogi præcepta, exacte relevando omnes circumstantias. Q. an ita recte se gerat.

Respondeo hunc modum genericum sic indiscriminatim interrogandi omnes, ac singulos pœnitentes, regulariter non esse satis aptum, ac approbatum: cum juxta S. Thomam Confessarius teneatur scrutari conscientiam peccatoris, sicuti solet Medicus agritudinem agroti, & Judex cau-